

in sphaera recta habitare asserant, quod eorum Horizon non efficiat obliquos angulos cum Aequinoctiali. Verum hoc eodem argumento concludetur, eos non in sphaera recta degere, quoniam eorum Horizon non constituit angulos rectos cum Aequinoctiali, sed omnino cum eo coincidit, Quare meo iudicio rectius cum auctore dicemus, eos in sphaera obliqua habitare, quia saltem una causa sphaerae obliquae illis congruit; nulla autem sphaerae rectae. Quod etiam indicant definitiones aliorum tradita de sphaera recta & obliqua.

ORIGO autem, & causa huius diuisionis sphaerae in rectam, & obliquam est rotunditas terrae. Cum. n. ut suo loco demonstrabimus, terra sit rotunda, fit, ut situs polorum, & totius sphaerae mutetur in diuersis terrae partibus; ita ut homines versus alterum polorum procedentes, semper eum magis ac magis eleuatum intueantur; Quod non accideret, si terra esset plana. Praeterea, quoniam vbicunq; homo fuerit, & in quacunq; orbis terreni parte extiterit, semper videt mediam partem caeli, seclusis montium, & vallium impedimentis, ut a Ptolemaeo, Alphragano, & alijs Astronomis varijs est phaenomenis compertum, quam quidem medietatem visam a non visa dirimit Horizon; Efficitur, ut in qua regione vnus polus in Horizonte iacet, alter etiam in eodem existat. Item quantum alter polorum supra Horizontem attollitur, alter quoq; tantum sub eodem deprimatur; Alias aut plus aut minus, quam medietatem caeli conspiceremus, cum poli per dimidiam caeli partem a se inuicem distent, nepe qui per diametrum mundi opponantur. Quare necesse est, ut homo in aliqua magna campi planitie constitutus videat aut vtrumq; mundi polum (remotis omnibus impedimentis montium ac vallium) in Horizonte iacentem, quando nimirum Horizon per mundi polos incidit; aut vnum eleuatum, & alterum depressum inspiciat, quando videlicet Horizon per polos mundi minime transit. Ex his igitur omnibus euidenter constat ratio diuisionis sphaerae in rectam & obliquam.

DICTA est ab auctore prior illa diuisio, qua distribuitur sphaera caelestis in nouem sphaeras, esse secundum substantiam; quoniam est diuisio superioris in sua inferiora, nempe caeli in caelos particulares, non secus ac si diuideremus animal in hominem, leonem, equum, & caetera animalia. Vel certe, quia est diuisio Totius in suas partes integrantes, nempe totius regionis caelestis in caelos singulos, ex quibus ipsa constat. Non aliter quam si diuideretur homo in caput, pectus, crura, brachia,